

liæ direptiones; Melitæ clades; Leptis Hierosolymitanæ religionis munimentum amissa, magnum cunctis terrorem incuterent? Ut Julius Pontifex Maximus eventuum atrocitate expergisci tandem videretur, coactoque Cardinalium collegio, hujusce tempestatis calamitates, conditionesque temporum miseratus, quot undique christiana respublica premeretur periculis differeret; legatosque ad Reges, qui exulceratos animos concordia sanare, omnique studio ad pacem traducere contenderent, mittere statueret. Carporum itaque Cardinalem ad Cæsarem, Verallum ad Regem designavit. Eodem fere momento, quo pacis consilia Julius animo volutabat, a Gallis bellum in Subalpinis coëptum Romæ nuntiatur: Sancti Damiani oppidum captum; Clarascum obsessum; Gonzagam, Parmæ obsidione relicta, ad opem in Subalpinis ferendam profectum, Meneniani Marchionem copiis ad Parmam præfecisse. His nuntiis mirum in modum Julius perturbatus, quod infaustam sui pontificatus memoriam ob inflicta a barbaris christianæ reipublicæ vulnera, atque ob bellum in Italia excitatum ad posteros transmittere vereretur, Cardinalium collegio denuo accersito, Christianorum clades deplorat: *religionem in plerisque provinciis vel nutantem, vel labefactatam* lamentatur; *sævientes in innoxios populos, ob Regum acerrima odia, Christi nominis hostes; novum, dum pacem meditatur, exortum in Subalpinis bellum; jam divina, humanaque omnia permixtum iri.* Quid igitur tot malorum ingruentibus procellis reliquum esse, nisi ut, divina ope implorata, constanter ad ea remedia deveniretur, quibus sæpius afflictis, ac fere prostratis reipublicæ christianæ rebus, aspirante Numine, salus, atque incolumitas affulsisset? Quapropter ad Concilium Christianos Principes evocare statuisse, ut sacrum adversus Turcas fœdus iniretur; in eos, qui non accessissent, ac tantæ rei molimini impedimenta iniecissent, gravissimis pœnis ex Ecclesiæ instituto animadversurum: acerbè admodum Cæsarem, ac Regem fugillando, quod illorum dissidiis christianæ res disjectæ collaberentur, ac prope conciderent. Verum speciosis verbis, ac consiliis nusquam exitus pares fuere, cum summo reipublicæ christianæ malo nullo magis barbari, quam Regum intestinis dissidiis ad eam magnitudinem

1551

Julius Pontifex Card. legatos ob pacem ad Cæsarem & Henricum Regem designat.
Galli in Subalpinos bellum movent.

Julii Pontificis in Cardinali Collegio oratio.